



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Lioba Abbatissa. 28. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

terna condere, verbis, exemplo tenere. Post hæc denique placuit rupem conscendere (per solas scalas aditus erat) indeque velut ex arce suis advigilare. Fons quoque cum deesset, lacrimis hunc mercatus est. Denique cum ad suos undique convocatos pro virtute verba faceret, dixit & vixit. *Ex Metaph.*

S. LIOBA ABBATISSA.

28. *Septembris.*

LIOBA est, nobilis cum primis & Deo dicata virgo, eademque virginum multarum mater. Et hanc cum Germaniam percoleret D. Bonifacius ex Angliâ in auxilium evocavit, ut novo Parthenoni Bischofsheimensi antistes præflet. Vitam vixit, quam rebellis celo Angelus invideret homini. Inde cum labe nullâ posset, sinistris rumoribus famam vitare virginis aggressus est in hunc modum. Muliercula stipe victitabat, quam in dies singulos virginum asceterium porrigebat. Hæc cum prolem extra thori leges enixa esset, crimen mergere cum partu in rivo voluit, qui cœnobium proximus alluebat. Sed non eluerunt aquæ facinus; prodiderunt, & in suspicionem cædis ad populum totum virginum Collegium vocarunt. Hic LIOBA in auxilium Superos passis manibus tam diu vocare, dum Davidis omnia
car-

carmina percurreret. Inde cœnobii muros circumlatâ cruce lustrare. Neque refugit patrocinari cælum. Sceleris conscia mulier à dæmone correpta ultrò se stitit, & crimen fassa innocentes omnes absoluit. Porrò **LIORÆ**, de Deo illi fuere sermones, ut hos Imperatoris Caroli M. & conjugis augustissimæ aures sitirent. Miris etiam post mortem plurimis, multis etiam in vitâ claruit. Inter hæc illud memorandum, quòd tempestatem ultimam innotantem urbi crucis signo fugavit. **CHRISTIQVE & MARIE** nomine omne cælum serenavit. Eo verò ad geminos soles cur non nubes fugerent? *Ex Surio.*

S. MICHAEL ARCHANG.

29. Septembris.

MICHAELEM vides Angelorum bonorum omnium Principem, malorum omnium domitorem. Numinis ad mortales principem legatum, horum ad cælos ductorem fidedissimum, operumque exquisitissimum libripendem. Tam benè itaque de se merito Christiana Respub. jam olim trophæa, aras & templa statuit. Nam ut montem Garganum, cuius alibi mentionem fecimus, hic taceam, D. Joannis Apostoli ætate **MICHAELIS** nomen, quòd salutiferas in hominum